

10240

25

1684

7²

3

O. J. J.

IMMUTABILITATEM JURIS NATURALIS,

PRÆSIDE,

JOH. CASPARO Brendel /
Phil. & J. U. D.

IN AUDITORIO MAJORI,

Publicæ ventilationi exponit

Ad Diem 7. Septembr. cl. lcc LXXXIX.

A U T O R

GEORG WILHELM KEGET,

Windshemio - Francus.



WITTENBERGÆ,

Ex Officinâ Viduæ JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typogr.



V I R O
G E N E R O S I S S I M O E T E X C E L -
L E N T I S S I M O ,
D N O . J O H A N N I P H I L I P P O
à J O S S ,
I l l u s t r i s s i m i C o m i t i s d e L i m b u r g
C o n s i l i a r i o s p l e n d i d i s s i m o , A f f i n i ,
P a t r o n o , a t q ; S t u d i o r u m s u o r u m P r o m o -
t o r i , o m n i h o n o r e a c p i e t a t e æ t e r -
n u m d e v e n e r a n d o ,

*Hoc Specimen Academicum,
in sui, suorumq; studiorum commendationem
humillimo animo offert,
atq; consecrat*

G E O R G V V I L H E L M K E G E T ,
A u t o r & R e s p o n d e n s .



I. N. 7.



Philosophiam in duas partes vul-

gò dividi, quarum altera Theoretica, altera verò Practica appellatur, omnibus constat. Utamque verò utilem admodum, frugiferam & fructuosam esse, facile quidem largior; Practicam tamen Philosophiam multò feraciorem esse theoreticà, eamque albis, quod ajunt, quadrigis præcurrere, nemo fortè negabit. Etenim hominum illa mores & actiones, secundum moralitatis regulam, ad benè, beatèque vivendum, informat, & quomodo cupiditati exsultanti, jactantiqve se, & rationis imperium detrectanti frænos injicere oporteat, ostendit. Magnum quidem est, rerum naturalium principia, causasque nosse: Siderum, cæterorumq; corporum cœlestium situs, magnitudines, intervalla scientiâ comprehensa tenere, præclarum. Verùm quod ne illi quidem ipsi, qui hisce Scientiis non tincti solùm, sed imbuti sunt, ibunt inficias, Moralis disciplina fructuosior cognitio est, & perniciosior illius ignoratio. Nullus siquidem unquam, quod dictas illas, aut non teneret, aut etiam negligeret Scientias, minùs propterea Reipublicæ utilis existimatus est: Ast moralis disciplina quando negligitur, infinita malorum monstra in Republicâ nascuntur, licentia morum, jactura rerum, civitatum ruina, sentina vitiorum omnium, deniq; malorum

O
rg
i,
ET,



quasi gehenna. Hisce inductus, operæ præsum-
rum, existimavi, si materiam ex Philosophia Pract
fundamentum quoq; est Jurisprudentiæ nostræ, pro i.º
mei modulo, pertractarem, eamq; speciminis loco Acade-
mici, Patronis meis exhiberem. Placuit autem præ cæteris,
de Juris Naturalis immutabilitate, materia; utut non igno-
rem, de eadem hæctenus à præstantissimis ingeniis abundè
fatis actum esse. Nondum enim reprehensum vidimus, qui
post messem ad spicilegium accessit. DEum verò Ter
Optimum Maximum precor, ut has studiorum meorum
primitias, in sui Divinissimi Nominis gloriam, & Patriæ
commodum clementer dirigere velit.

§. I.

Non levem errant errorem, qui lapsu Protoplasto-
rum Jus Naturæ, aut prorsus absorptum, aut ipsius
conditionem satis afflictam, existimant. Contra-
rium docent & experientia, & diserta Pauli verba ad *Rom.*
II. vers. 14. & 15. Gentes, quæ legem (intellige scriptam) non
habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt & ostendunt, o-
pus legis scriptum esse in cordibus suis, unâ testimonium
reddente ipsorum conscientia, & cognitionibus sese mu-
tuò accusantibus & defendentibus. Ex quibus hæc vice Ju-
ris Naturalis existentiam suppono; nec moror Carnea-
dem, & alios, qui sumserunt audaciam asserendi: Jura sibi
homines pro utilitate sanxisse, scilicet varia pro moribus,
& apud eosdem pro temporibus sæpè mutata, Jus autem
Naturale dari nullum. Hoc enim falsum esse, ex modo di-
ctis constat, & inde quoq; facilè probatur; quia datur pro-
prium & peculiare Juris Naturæ objectum. Ergò etiam da-
tur Jus Naturæ. Antecedens patet, quia datur in se hone-
stum & turpe, quod cum ad Jus positivum referri non pos-
sit

proprium utiqve Juris Naturæ objectum constituit.
§. II. Hujus Juris tres potissimum circumferuntur
definitiones, quarum prima est Imperatoris Justiniani, in
pr. Inst. de J.N.G. & C. ubi Jus Naturale definit, quod na-
tura omnia animalia docuit. Nam Jus illud, inquit por-
rò, non humani generis proprium est, sed omnium ani-
malium, quæ in cœlo, quæ in terra, quæ in mari nascun-
tur. Quamvis verò hæc definitio à nonnullis magnâ animi
contentione defendatur, accuratiores tamen Jcti ultrò fa-
tentur, verbum Juris in proposita definitione à Justiniano
impropriè usurpari, & brutis animantibus Jus Naturæ non,
nisi per similitudinem & analogiam aliquam, tribui. Ita
etiam me docuit *Excell. Dn. Præses in Lectionibus privatis
ad pr. Inst. d. t.* Et sanè si ista vera esset definitio, colere
DEum, Juris Naturalis non esset; id enim natura omnia a-
nimalia non docuit. Accedit, quod cujuslibet Juris quasi
anima sit obligatio, hujus autem bruta capacia non sunt:
quid ita? Quia non intelligunt vim obligationis, nec li-
berè, sed ex impositâ necessitate agunt: Quod nisi conces-
seris, brutis intellectum & voluntatem tribuas, atqve ita
ex brutis homines, & ex hominibus bruta efficias, necesse
est.

§. III. Bruta equidem actus Legis Naturalis, quod
dissentientes obvertunt, exercent, sic procreant sobolem,
& sustentant eam, adeoq; capacia esse hujus Juris censen-
tur; Verùm Actus istos materialiter spectatos in bruta ca-
dere, concedo, sed formaliter, & ut sunt actus legis, hoc
est, moraliter boni & honesti, si considerentur, nego. Add.
*Illustrem Zieglerum, Juris Naturæ indagatorem solertissi-
mum, in Notis ad Hug. Grot. p. 55.* Sunt etiam, qui procre-
ationem sobolis Juris Naturalis esse, si id propriè & positivè

sumatur, non admittunt; sed tunc solum id ipsum cace-
dunt, quando Jus Naturale improprie & negative accipi-
tur, quatenus videlicet eo Jure non est prohibita, adeo
statuunt, sobolem procreare (scilicet in matrimonio) sine
peccato omitti posse. Verum crediderim ego, citra omnem
absurditatem asseri posse, matrimonium inire, inque eo
sobolem procreare, proprie ad Jus Naturæ pertinere, & ad
illud ineundum homines obligari; ita tamen, ut non sta-
tim contra Jus Naturæ agant, certo nonnunquam tempore
eodem abstinentes, licet fortè capacitatem procreandi si
spectes, habiles sint. Obligantur enim homines ad contra-
hendum matrimonium, per modum præcepti affirmativi,
quod non singulos necessario, & quovis tempore adstrin-
git, sed supposita demum occasione. Hæc autem non ex
solâ naturali aptitudine intelligitur; sed ut copia quoq; sit
decentis conditionis, nec non facultas alendi uxorem &
prolem nascituram. Unde non solum non adstringuntur
ad contrahendum matrimonium, qui sibi, suisque nil,
nisi strenuam esuritionem polliceri possint, ac civitatem
mendicabilis sint impleturi: Sed insuper etiam in leges
prudentiæ impingunt animum ad uxores applicantes. In-
consultum enim admodum videtur, liberos procreare in
spem esuriendi, atque inopi vulgo civitates implere, mo-
do tamen tales sint, ut in sexum fœmineum proclivitatem
digerere, castitatemq; impollutam servare queant.

§. IV. Progredior ad alteram Iuris Naturalis defini-
tionem, ab *Arist. 5. Eth. 7.* traditam, ubi ait: Ius Naturale
est, quod ubiqve eandem vim habet, non quod ita vel de-
cretum sit, vel non decretum: Quæ descriptio desumta
est à posteriori, satis tamen rem explicans, innuensque, non
ex opinione humana, sed ex ipsa naturâ oriri & nasci Ius
Natu-

Naturæ. Hoc autem non ita intelligendum, quasi connasca-
tur actu, sed habitualiter seu dispositivè, ut loqvuntur, ut,
quamprimùm se ratio exserit, in actũ prodeat. Neq; officit,
quod principia hujus Juris nota esse dicantur. Non enim sic
dicuntur, quod nobiscum actu nascantur: sed quia per se
nota sunt, & indemonstrabilia, quorum veritas simul, ac
termini cogniti sunt, à quolibet, quamprimum rationis
usus incipit, sine demonstratione, deprehenditur.

§. V. Limatior videtur definitio, quam *Hugo Gro-
tius Lib. I. de J. P. & B. c. I. §. 10.* tradit: Ius Naturæ est dicta-
tum rectæ rationis, indicans actui alicui ex ejus conveni-
entia, aut disconvenientia cum ipsâ naturâ rationali, inesse
moralem turpitudinem, aut necessitatem moralem. Dici-
tur *dictatum rectæ rationis*, non ipsa recta ratio. Nam Ius
naturæ est illa norma, ad quam omnes humanæ actiones
debent exigi; Recta verò ratio, quæ actiones ad hoc Ius
conformat, tantum de convenientia & disconvenientia
earum cum lege, format iudicium. Et hoc iudicium, sive
dictatum rectæ rationis comprehendit primò communia,
& indemonstrabilia principia practica, nempe honesta
sunt facienda, turpia fugienda. Deinde conclusiones ex
principiis illis deductas. Harum rursus duplex est genus:
Nonnullæ namque promptè & directè descendunt à princi-
piis istis indemonstrabilibus, ut: nemo est occidendus.
Nonnullæ remotius, quæ doctiorum fermè indagazione
formantur ex principiis, v. g. pecunia est reddenda eâ bo-
nitate, quâ accepta.

§. VI. Objectum Iuris Naturæ est actus conveniens,
aut disconveniens cum ipsâ natura rationali, indeque ha-
bens moralem turpitudinem, aut necessitatem moralem.
Sive, est omne id, quod per se debitum fieri, vel omitti. Pro-
xima

xima proinde naturæ legis ratio humanarum actionum di-
versa est conditio; quarum cum aliqua ita sint comparatæ,
ut in se cum humana natura quandam involvant conveni-
entiam, quædam verò eidem prorsus adversentur, non po-
tuit DEus, quin homini has adversari, illas verò amplecti,
imperaret. Quo ipso Jus Naturale, inter alia, à Jure posi-
tivo distinguitur: Hoc enim materiam suam, actiones ni-
mirum ante indifferentes specificat, & bonas facit præcipi-
endo, malas vetando. Ex dictis facilè apparet, Jus Naturæ
ipsi DEo debere incunabula, illiusq; obligationem ab au-
tore naturæ, Deo, arcessendam etiam esse, ut ut in obje-
ctis actuum Jure Naturali mandatorum, aut prohibitorum
lateat bonitas, aut malitia. Enim verò, cum omnis lex sit
decretum superioris, à quo vim obligandi habet, necesse
est, ut quoad legem etiam naturæ, detur superior aliquis,
cui potestas competat, omnes omninò homines illà sibi
adstringendi, ejusque neglectum vindicandi.

§. VII. Insigne verò hic iterum conspicitur discrimen
Juris Naturalis & Positivi. Licet enim promulgatio faciat,
ut lex positiva sit lex, & absq; illa si sit, ad obligandum ho-
mines efficax esse nequeat (quia tum ignorantia, quippe in-
superabilis, excusat;) secus tamen est, quoad Jus Naturæ:
Deus enim actus per se debitos præcipit, & per se illicitos
vetat, citra peculiarem sanctionem & promulgationem:
Et incipit Juris Naturalis obligatio, quando se usus rationis
exserit, atq; tum promulgatio facta putatur, quando ter-
mini ipsi innotescunt. Sed, quousque se extendat ista obli-
gatio, notari meretur. Non enim eadem hoc loco est ratio
affirmantium & negantium præceptorum. Illa aliquo sal-
tem, hæc omni adstringunt tempore. Sic, cum jubetur,
parentes esse honorandos; obligat hoc, ut colas eos, iisque bene-

benefacias, quoties requirunt occasio, commoditas & necessitas. Sic Juris Naturalis præceptum est, suum cuique tribuendum, idque semper obligat, sed non ad semper, ut loquuntur, hoc est, non obligat ad singula tempora, omnesque casus, & quemvis locum, sed cum debitis circumstantiis. Siquidem varij possunt occurrere casus, in quibus, ad suum cuique tribuendum, non sum obstrictus, puta si dominus sit furiosus, si heluo &c. Sed cum furtum prohibetur, homicidium, adulterium &c. omnia ea tempore prohibita esse, intelligendum. Illud de cætero non nego, Jus Naturæ specialem quoque agnoscere promulgationem, quæ videlicet Israelitis facta est in monte Sinai. *Exod. XIX.* quâ repetitione & nova Legis Naturalis promulgatione humanæ mentis, sive tarditati, sive pravitati mederi DEus voluit, & contumacibus omnem excusationis causam præcidere.

§. VIII. Ex hæcenus dictis facili operâ conficitur, legem naturæ cordibus hominum esse inscriptam, non quia DEo sic placuit, sed quia necesse erat: Et per illam legem quædam præcepta, quædam verò prohibita, non quia DEo sic visum fuit, sed, quod illa rationali naturæ apta, hæc eandem minus decentia esse, cognovit. *Conf. Magnif. Dn. Ziegl. in notis ad Hug. Grot. pag. 52.* Hoc supposito, suâ sponte nunc fluit, juris naturalis immutabilitas, quâ vel additionis cuiusdam, aut detractionis, vel totalis, aut plenariæ abolitionis capacitas de lege naturæ removetur. Addi & subtrahi quid posse legi naturæ per positivam, equeidem non diffiteor: sed addi eidem, aut subtrahi quid posse ita, ut inde sequatur mutatio, & ut aliquid desinat esse legis naturalis, quod prius fuit secundum eam, id est, quod constanter nego. Jus enim naturæ constans est, & immutabile, quam immutabilitatem ostendit quoque Philosophus *5. Eth. 10.* ubi ait:

B

Jus

Jus naturale eo etiam modo differt à legitimo, quod illud semper, & ubiq; gentium ac locorum sit expers mutationis; hoc autem, ratione circumstantiarum exigente, aliquid mutationis admittat; imò rebus ita ferentibus, planè abrogari possit.

§. IX. Jus legitimum mutari posse, neminem fortè latet. Mutatur enim illud vel respectu rationis, & causæ, ob quam lata lex est. Ea cessante, cessat & lex ipsa; hoc modo lex, quæ tempore belli quamplurimum emolumentum procreat Reip. statui, commodè pace vigente, abrogatur, necessitate non amplius urgente; vel deinde ratione eventus: Interdum enim temporis bonæ legis sub schemate, lex initio arridet, quæ postmodum melioribus, & utilioribus inventis, meritò repudiatur; vel deniq; ratione conditionis hominum, qui sæpe numero meliores, vel peiores fiunt, ubi per leges poenæ sunt mitigandæ, vel exasperandæ, quemadmodum lex furti capitalem adfert poenam. Mutatio tamen ista cautione habet summâ opus, tùm quod non facilè reperitur aliquid veteribus melius, tùm quod res est mali exempli, leges mutare. Add. *Arist. 2. Politic. 8.*

§. X. Sed difficultas delitescit in hâc disquisitione, utrum in jus naturæ cadat mutabilitas? In diversissimas distrahuntur sententias, & Icti, & Philosophi, quas recensere, studio brevitatis, lubens supersedeo. Mihi interim tenenda ac defendenda est juris naturalis immutabilitas, tenenda quoq; ejus obligatio, manente eodem objecto, iisdemque circumstantiis. Hanc immutabilitatem tueor sub clypeo sequentium fundamentorum. Primum est; Quia jus naturæ autorem agnoscit ipsum DEum Ter Opt. Max. qui has naturæ leges, ceu æternæ suæ legis vestigia impressit mentibus nostris. Hinc ita infero: Quemadmodum se habet lex illa
in

ente æternâ, ita quoq; se habet lex naturæ. Atqui lex
illa est immutabilis, adeò, ut nec abrogatione tolli, nec de-
rogatione minui possit. Ergo quoq; talis est lex naturæ.

§. XI. Immutabilitatem ulterius inde confirmare pos-
sum, quia leges naturales debent habere rationem princi-
pii, normæ, regulæ, ac mensuræ. Jam verò principia firma
sunt ac immutabilia, necesse est: Nam quod mutabile est &
contingens, illud principium ac regula esse nequit. Evinci-
tur quoq; hujus juris immutabilitas ex ipso objecto, quod
sunt actus intrinsecè honesti aut turpes. Jam impossibile
est, ex actu in se & objective honesto turpem, & ex turpi
honestum efficere. Hanc immutabilitatem porrò stabilire
possum auctoritate Iustiniani *in §. pen. I. de J.N.G. & C.* hunc
in modum scribentis: Sed naturalia quidem jura, quæ apud
omnes Gentes peræq; observantur, divinâ quâdam provi-
dentiâ constituta, semper firma atq; immutabilia perma-
nent. Ea verò, quæ ipsa sibi quæq; civitas constituit sæpè
mutari solent, vel tacito consensu populi, vel alia postea le-
ge lata.

§. XII. Atque sic facilè constat, Ius naturæ ratione
abrogationis immutabile esse, scilicet in se, & ita, ut, quod
lex naturæ dicit, esse honestum, desinat tale esse; aut quod
dicitur esse turpe, desinat esse turpe. Ratione verò subjecti,
in quo est, videtur utiq; mutari & abrogari posse, in casu
quo ex mente hominum aboletur ita, ut quis non amplius
sciat, quid lege naturæ præceptum sit, aut prohibitum. Ubi
tamen adhibenda est distinctio inter præcepta legis naturæ
communissima, qualia sunt, honestum est appetendum,
turpe fugiendum, & conclusiones ex istiusmodi præceptis
deductas. Has ex mente hominum aboleri quandoq; non
repugno; Illa verò non item: Nam ordinariè fieri non

posse, ut principia illa universalissima ex mente homi-
ni qui rationis compos est, ita penitus oblitterentur, ut non in-
terdum sese cogitationibus offerant, & etiam in sceleratis-
simo conscientiam vellicent, certò sum persuasus. Dico
notanter *ordinariè*: quia secus est potentiam DEi absolu-
tam si spectemus, vi enim hujus, sicut DEus omnes homi-
nes à se creatos iterum destruere, ita etiam illorum princi-
piorum practicorum tum communium, tum particula-
rium notitiam delere & abrogare valet: Sed modo id fieret
planè extraordinario.

§. XIII. Tanta porrò est juris naturæ immutabilitas,
ut ne dispensatio quidem inferri eidem possit. Dispensare
enim est, cum quis eximitur, vel initio statim ut non obli-
getur, vel postmodum in certo casu liberatur ab obligati-
one, qua cæteroquin tenebatur. Ex quibus liquido consta-
re arbitror, quam nullam prorsus lex naturalis, velut ipsius
DEi decretum, dispensationem recipiat, quamq; nulla un-
quam actio subtrahi ab obligatione ejus possit. Id quod non
respectu hominum solum intelligo, sed & DEi ipsius. Ex
parte hominum res est perspicua. Cum enim omnes furi
naturali, tanquam præcepto divino subsint, mirum non
est, si inferiores in eo, quod superior jussit nihil mutare va-
leant. Quo enim jure, quo prætextu Princeps, aliusque Ma-
gistratus, qui DEi saltem minister est, eòq; longè inferior
circa legem v.g. de non colendis idolis, item de vitando in-
cestu, inter parentes & liberos, dispensare & pœnam remit-
tere, aut gratiam facere poterit! non certè video. Leges si-
quidem naturales à DEo ipso latæ omnibus ex æquo sunt
præscriptæ, omnesq; mortales summum, summi legislato-
ris imperium recognoscere, ac imperanti obtemperare co-
guntur. Cui consequens est, Principem jure naturali æquè,
ac

quemlibet alium teneri. Iura namq; illa sunt supra Prin-
citem, adeoq; observare eadem omnino adstringitur. Un-
de naturæ, divinisq; decretis, & Regem, & quemcunque
Regi par jus obtinentem æquè constringi, atq; privatum,
rectè & piè scripsit *Czovius de L. Reg. c. 12. sect. 1. n. 29. & seqq.*
§. 14. Sed & ipsum DEum Ter Opt. Max. in jure na-
turæ non plus dispensare, quam se ipsum, suamq; sanctita-
tem negare posse, existimo, eodem objecto, iisdemq; cir-
cumstantiis manentibus. Verba finalia propterea addo;
quia Deum in lege naturæ dispensare posse, dici potest du-
obus modis (1) *directè & formaliter*, ita nimirum, ut, ma-
nentibus iisdem circumstantiis, & eodem objecto, id, quod
intrinsecè bonum est, jam non jubeat esse bonum, & quod
per se & intrinsecè malum est, bonum esse velit. (2) *Indire-*
ctè & materialiter, mutando videlicet materiam rei præ-
ceptæ, atq; eam legi naturæ & ejus obligationi subtrahen-
do. Posteriori modo Deum in lege naturæ dispensare pos-
se, concedo, priori verò non item, qua de re in sequenti-
bus pluribus agam.

§. XV. Sed dices: Si DEus est dominus & autor legis
naturalis, eaqve superior, utique in ea dispensare potest:
Atqui verum est prius: Ergò & posterius. Consequentia
probatur: quia quilibet Princeps legem à se latam tollere,
multoqve magis de eadem dispensare potest: Eadem igitur
potestas minimè deneganda videtur DEo, respectu juris
naturæ. Verùm à legislatore humano & superiore Reipu-
blicæ ad legislatorem æternum, DEum Ter Opt. Max. ar-
gumentari velle, in præsentia non procedit, nec sequitur,
Princeps in lege, à se lata potest dispensare, Ergò & DEus
in jure naturæ. In promptu ratio est. Nam leges à Principe
latæ pro objecto habent actus, ante præceptionem & pro-
hibi-

hibitionem indifferentes, adeoque & mutationem & dispensationem recipiunt. At verò juris naturalis objectum est bonum & malum intrinsecè, & per se tale, sicque jus naturæ non à sola voluntate Divina, sed intrinseca ipsius objecti natura, simul pendet, & consequenter mutationi minimè est obnoxium. Leges autem positivæ ex sola & libera autoris sui voluntate, ratione tamen temperata, proficiuntur. Ad argumentum formaliter respondeo, limitando majorem: Si Deus est dominus & autor legis naturæ, ita, ut obligatio illius dependeat à sola Dei voluntate, tunc potest dispensare. Sed sic limitata majore, nego minorem. Ut enim Deus rectè & jure optimo dicatur, dominus legis naturæ, obligatio tamen hujus legis præcipuè, non à voluntate Divina, sed simul ab ipso objecto, pendet, ut aliquoties monui.

§. XVI. Nec est, quod hætenus dicta defectum aliquem in potentia Dei arguere existimes: Siquidem immensa quidem est Divina potentia, nec limitibus temerariis circumscribenda; hæc tamen non occupatur circa ea, quæ contradictionem involvunt. Implicat atq; inter impossibilia est, ut intrinsecè bonum non sit bonum, & naturæ, quæ ejus capax est, non conveniat: Et quod intrinsecè malum, tale esse desinat, nec humanæ naturæ fugiendum. Adde hic verba Grotii qui *lib. 1. de J. B. & P. §. 10.* ita scribit: Est jus naturale ita immutabile, ut ne à Deo quidem mutari queat. Quanquam enim immensa est Dei potentia, dici tamen quædam possunt, ad quæ se illa non extendit; quia quæ ita dicuntur, dicuntur tantum, sensum autem, qui rem exprimat, nullum habent, sed sibi ipsis repugnant. Sicut ergo, ut bis duo non sint quatuor, ne à Deo quidem potest effici, ita ne hoc quidem, ut quod intrinseca ratione ma-
lum

am est, malum non sit. Quibus quidem nihil expressius
dici possit. Sed quomodo DEus est Omnipotens?
Resp. Vocabulum omnipotentiae rectè explicari per poten-
tiam possibilium, unde absurdum non est, si dicamus exci-
pienda quædam esse, propter rerum ipsarum ineptitudi-
nem ad existendum, qualia scilicet nec sunt, nec esse pos-
sunt, sed tantum dicuntur.

§. XVII. Patrocinia contrariæ opinionis defensoribus
parere sacra videntur pagina. Nam æternum Numen con-
cedebat non solum, sed etiam imperabat Patriarchæ Abra-
hamo filium unigenitum ut jugularet & immolaret *Gen. 22.*
Igitur à Deo dispensari posse in lege naturæ, credunt, dum
parricidium non tantum concedit, sed etiam mandat. Ve-
rum paret ad hoc responsio ex §. 13. ubi dixi, dispensatio-
nem in jure naturæ fieri non posse, manente eodem obje-
cto, iisdemque circumstantiis. Nam objectum & circum-
stantias DEum mutare posse, non nego: quibus mutatis e-
venit, ut quædam actio legi naturæ contraria non sit,
quæ iisdem sic manentibus, contraria fuisset. In citato
loco non lex fuit mutata, sed objectum. Abrahamus enim
filium si interfecisset, homicida non fuisset; siquidem id
non privata, sed DEi autoritate fecisset, qui propter pec-
cata, aut causas nobis interdum incognitas, ut arbiter &
dominus vitæ nostræ justâ poenâ homines afficit; quando,
& per quem vult. Nulla proinde hic facta est dispensatio.
Nam lex de homicidio est talis: Non est occidendum ex
autoritate privata; jam verò DEus minimè concessit, ut
Abraham pater credentium interficere filium ex autori-
tate privata potuerit.

§. XVIII. Sed quid de ablatione vasorum Ægyptiaco-
rum per Israelitas facta *Exod. vers. 2. & cap. 12. vers. 26.* dicen-
dum?

dum? Dico, nec exinde mutationem juris naturalis recte inferri; quia filii Israel præcepto DEi Ægyptiorum vasa aurea & argentea auferentes, furtum formaliter non committebant. Hoc enim in eo consistit, ut res aliena auferatur invito domino, quamdiu scilicet aliena est. Jam DEus non permisit Israelitis, ut auferrent vasa Ægyptiorum, quatenus erant aliena, sed tanquam propria per donationem à Deo facta: Siquidem in potestate erant DEi Opt. Max. qui ea donare poterat Israelitis loco mercedis pro labore exantillato. Competit enim DEo dominium universale in nos & bona nostra, quæ proinde justitia ejus exigente, dirigere potest in quem usum velit. Hactenus dicta egregiè confirmat *Grotius l. c.* inquit: Si quem Deus occidi præcipiet, si res alicujus auferri, non licitum fiet homicidium, aut furtum, quod vitæ & rerum supremo domino autore fit. Nulla igitur & hoc in casu facta dispensatio est, sed jussu ejus, qui de hoc objecto, an hujus, aut alterius sit, incorruptè potest judicare, facta est objecti mutatio, & vasa nec aliena fuerunt, nec furtum commissum. Quod tamen tale fuisset, si absque DEi jussu, privato quodam ausu, ea sibi adpropriare voluissent.

§. XIX. Nondum verò omnis difficultas expiravit. Urgeri enim porrò solet exemplum de filiis Adami proprias sorores in matrimonium ducentibus; nuptias autem fratrum & sororum jure naturæ prohiberi supponunt. Sunt equidem, qui respondent DEum hoc loco propriè non dispensasse, sed ob summam quandam necessitatem, ad vitandum majus malum, hujusmodi conjugia saltem tolerasse. Sicut enim aliàs, cum duo sint mala, quorum alterutrum est eligendum, ad evitandum majus malum, eligendum est minus; Ita cum duo tunc temporis essent mala, nempe velut
frater

um sorore sua matrimonium iniret, vel ut periret
ius humanum, ideò DEus prius permisit ad evitandum
po^{us}. Verùm hanc responsionem ipsis defendendam
relinquo, & dico, falsum esse istud suppositum, nempe fra-
trum & sororum matrimonium jure naturæ prohiberi. Ve-
rissimile enim haud est, DEum ejusmodi casum procurasse,
ut omninò vis legi naturæ inferatur, dum speciem huma-
nam propagari jussit, & tamen non aliud præbuit medium
quàm isthæc connubia. Præsertim cum nulla necessitas
DEum subigeret, unum duntaxat mortalium par creare, i-
gitur ex positiva lege prohibitio istiusmodi videtur descen-
disse. Atque sic, ni fallor, satis apparet, exemplo allato, nul-
lam probari posse, aut dispensationem, aut mutabilitatē ju-
ris naturæ, sed manere istud adhuc constans & immutabile.

§. XX. Neq; huic immutabilitati porrò officit, gentes
totas communi omnium errore, contra naturæ jura pec-
casse, quod multorum exemplorum inductione, potest ex
historiis ostendi. Quid enim fuit liberorum priorum
expositione usitatus? ut ex Comiciis notum. Quid publicis
scortationibus frequentius? Neq; his solùm sceleribus mul-
tæ gentes se contaminarunt, sed furtis, latrocinis, rapinis
sibi nomen quæsiere: quod de Lacedæmoniis, & aliis qui-
busdam enarratur, & hodiernum apud Tartaros summa
laus est, fortiter in hisce se exercere. Et quis omnia scelera
Gentium enarrabit? Historiæ uno eadem ore eloqvuntur.
Verùm, licet hæc & hujus furfuris alia lubens admittam,
immutabilitati tamen juris naturæ detrahere nihil quic-
quam valent. Distingvendum enim est inter mutationem
juris naturæ, & ejus violationem: legem naturæ violasse,
& indies violare quamplurimos, certos interdum etiam
populos, non repugno. Sed hæc violatio & transgressio nul-

nullam ipsius legis affert mutationem. Quemad-
& in civilibus videre legibus est: Legem, quam Romulus
non transiliendo muro sanciverat, mutatam non le^o Jus,
licet illam transgressus sit Remus. Consequentiam igitur
nego argumenti. Lacedæmonii, aliiq; contra dictamen
rationis, violationem juris naturalis permiserunt: Ergò jus
naturæ mutabile est in se, & sua natura.

§. XXI. Cæterum utut jus naturæ constans sit, ac immu-
tabile, unum tamen istius juris præceptum alterius esse in-
terdum limitationem & explicationem, negari nequit. Sic
jus naturæ est, depositum esse reddendum. Nec minus il-
lud, non esse occidendum, contra quod peccare videtur
furioso gladium restituens, quo se postea occidit. Parum
enim, quantum ad hoc, interest, an ipse homicidium com-
mittas, an verò instrumenta suppedites. Illud igitur præ-
ceptum: depositum est reddendum, restringitur per hoc
generalius: mala, & occasio ad ea, sunt fugienda. Similiter
jus naturæ est, ut dixi, non esse occidendum. Quod ta-
men maleficus, supplicio capitali afficiendus negat, aliud,
at idem naturâ notum pro se allegans: Quod tibi non vis fi-
eri, alteri ne feceris. Verùm hoc non obstante, Magistra-
tus gratissimam DEo victimam offert, merito supplicio
fontes afficiendo. Illud enim præceptum: non occidas,
limitatur per hoc, simili modo generalius: delicta sunt
punienda. Ista verò limitatio & restrictio, seu potius æqua-
horum jurium explicatio nullam infert, vel contrarieta-
tem inter se, vel mutabilitatem. Et hæc de immuta-
bilitate juris naturæ protulisse, sufficiat: In quibus qui-
dem, si ingenium, Lector cordate, acumenqve deside-
raveris, nullus repugno. Neque enim ingenii osten-
tandi gratia hoc, quicquid est, susceptum putes, quin po-
tius alicujus exercitii liberalis nomine.

Virtus socios deposcit honores;
pretium doctrina capit, dominumque
labores
Egregii mercede beant, & laudibus ornant.

^{pos.}
JO. HENRICUS BERGER, D.
h. t. Academ. Rector.

Quæ tua in studiis jam sit solertia mon-
stras,
Excutiens genii scrinia docta tui.
Pergere perge modo cæptam pertexere telam,
Dona feret Pallas, præmia moxq; Themis.

De prope nob. honori Dni.

Authoris

ANDR. SENNERTUS, P.P.
Acad. Sen. & h. t. Coll. sui Decanus.

Ad Eruditissimum

DN. RESPONDENTEM

AUCTOREM, Juvenem, & elegantiam morum,
& industriam insignem.

Cum in illo publico tuo honore, quem nobilissimi argu-
menti defensio peperit, gratulandi causa convenire vi-
deam Amicos, Fautoresque tuos, nec egodeesse officio
volui, quod gravis literarum cultoribus debeo. Laudent igi-
tur

C 2

tur



tur alii amorem tuum erga bonas literas incre-
pertinacem augenda doctrina industriam, illam
subtilitatem, loquendi gratiam & promptitudinem.
hi omnium maximè probatur elegans ille, sibiq; constans opti-
mè studiorum ordo, quo non per saltum ruis ad ea, quæ etas
tua nondum capit, sed mentem prius saluberrimis Philoso-
phia præceptis instruis, quam nobilissima Jurisprudentia te
penitus dedis. Quod qui negligunt, & pro parvis hæc sper-
ant, non possunt non hallucinari gravissimè, cum differen-
dum in publicum est, damnoq; suo docere alios, ut cautius
mercerari discant, nec immani ausu transiliant illa, sine quib;
clarum inter eruditos nomen frustra queritur. Quod su-
perest, DEUM veneror, ut servet tibi hanc mentem, cona-
tusq; egregios in majus provebat, ut in te tandem habeat pa-
tria, nunc plus satis afflictæ, cujus operâ consilioq; nitatur
tandem & efflorescat, B. V.

Tuus

omni studio & affectu

CHRISTIANUS Röhrensee /

P. P.

PRæclarum ingenii specimen proponis,
Amice,
Magnus Apollo Tibi præmia digna
dabit.

Ita vovet

Clarè-Docto Dno. Respondenti, hujus Dispu-
tationis Autori certissimo, Auditori
suo industrio,

PRÆSES.

1771) 0 (30)

Wittenberg, Diss., 1688-89

ULB Halle 3
003 731 693





f

56.

1017







10240
O. J. J. V
1684 7²
25
3

IMMUTABILITATEM JURIS NATURALIS,

TURALIS,

PRÆSIDE, *2 1/2*
JOH. CASPARO Brendel /

Phil. & J. U. D.

IN AUDITORIO MAJORI,

Publicæ ventilationi exponit

Ad Diem 7. Septembr. cl. l. c. LXXXIX.

AUTOR

GEORG WILHELM KEGET,,

Windshemio - Francus.

WITTENBERGÆ,
Ex Officinâ Viduæ JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typogr.